(5

AD

VIRUM CLARISSIMUM

ABRAHAMUM GOTTHEF. KAESTNERUM

MATH. PUB. PROF. IN ACADEMIA LIPSIENSI

EPISTOLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO

ABRAHAMO GOTT. KAESTNERO

MATH. PUB. PROF. IN ACADEMIA LIPSIENSI

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brix.

DUm anxius opperirer literas tuas, unde perciperem quid Tibi viſum fuerit de nonnullis controverſiis, quas ſubjeci judicio tuo dirimendas *ex habitu Matheſeos, & Phyſicæ ad Religionem*, quem docte ac ſapienter adſtruxiſti in Epiſtola tua jam ab anno vulgata, mihique inſcripta, paucis abhinc diebus meas ad manus perlata eſt munere tuo Diſſertatio a Te pariter edita, cui titulus, *Vectis, & comparationis virium Theoria evidentius expoſita.* Hanc ſtatim avide evolvi, ratus ibidem reperire me poſſe eam ipſam comparationem, quam magnopere optabam, virium nimirum, quibus adortus ſum ego, controverſias illas agitans, celebres quoſdam Scriptores, primaſque in Lyceis veſtris Cathedras obtinentes, & virium earum, quas iidem ſeu exeruerunt, ſeu exerere valeant ad oppugnationes meas propulſandas. Itaque tuæ illius Diſſertationis paginas verſans inveſtigavi, num quidpiam in ipſis mihi occurreret

Digitized by Google

de contorto a me dilemmate in Rothfiſcherum, Wolfianæ methodi primo cultorem & ultra modum veneratorem, deinde, abdicata Catholica Religione, cujus dogmata ejus methodi præſidio per annos quamplures ſeu doceret in ſcholaſtica palæſtra, ſeu libros ſcriberet, omni ope firmaverat, contemptorem; num quidpiam de turbidis Kieslingii ideis, ex quibus in articulis Juſtificationis, & Meriti bonorum operum ſecus ſibi fingit ſenſiſſe Cardinalem Gaſparem Contarenum, ac ſentiat Eccleſia Catholica, vel in ea ipſa Epiſtola, qua diſerte iſte profitetur, axiomata Thomiſticæ, & Scotiſticæ Scholæ ſe in iis articulis venerari; num quidpiam de Bertlingio, affirmare auſo Feverlinum in rejiciendis Pauli III. Apoſtolicarum literarum *technis*, *&* *fraudibus* ſibi ſuffragari, etſi iſte eas literas a me in lucem editas dignas cenſuerit, quæ Goettingenſibus quoque typis vulgarentur, & inſuper adeo earundem doctrinam *de ſalutis æternæ mediis* probaverit, ut gratulatus mihi ſit ipſarum editionem, addens ſe deſiderare, *Ut* doctrinæ illius *Summi Pontifices, omneſque Epiſcopi Parochis ſuis, Concionatoribus, & Catechetis ſeveriſſime injungant prædicationem*.

Hæc omnia quoniam ad ſcientiæ tuæ normam exigenda Tibi propoſui in literis xxx. Apr. hujus anni, meo deſiderio ſatisfactum a Te fuiſſe ſperabam, ut dixi, in nupera tua Diſſertatione; at cito deprehendi hanc a Te conſcriptam fuiſſe, antequam literas illas acciperes. Meis itaque votis fruſtratus de

Com-

Commentatione illa tua id tantum primo loco fatebor, eandem, etſi deſultoria quodammodo lectione a me luſtratam, magis magiſque mihi demonſtraſſe nemini Te eſſe ſecundum in artis, quam profiteris, peritia. Deſultoria, inquam, nam noſti quid cauſæ fuerit, cur olim a Mathematicis ſtudiis, molli lanugine nondum genas meas veſtiente per ſummam audaciam Euclidis Propoſitioni bellum intentans, abalienarer. Deinde vero ex ejuſdem Diſſertationis argumento occaſionem capiam Te rurſus enixe exorandi, ne diutius differas deſiderium meum illud implere. Id autem perficies, ſi eum Te præſtes, cujuſmodi Te exhibet Diſſertatio ipſa, parem ſcilicet illi, de quo ſcriptum legimus,

Commiſit vates & contulit inde Maronem,
Atque alia ex parte in trutina ſuſpendit Homerum.

Haud ita deſipio, ut putem, Te judice, ſeu Homero, ſeu Maroni æquiparari me poſſe, id tamen ſpero, ex ea, quam fieri a Te peto, æſtimatione Adverſarios meos Therſiti ſimiles Tibi viſum iri, etſi multum ipſe abſim, ut Æacidis nomen promerear.

Quoniam vero in calce mearum illarum literarum Triumviris, quos ſuperius nominavi, Kirchmajerum Profeſſorem Publicum Witerbergæ, & ejus Academiæ Seniorem adjunxi, ſupplex poſco, ut eum quoque lance tua ſuſpendas; ponderes ſcilicet quanti ſint teſtimonia adeo ab illo jactata Coclæi primum, deinde Eraſmi, quæque ego Catholicorum, non vero Heterodoxorum cauſæ

pa-

patrocinari luce meridiana clarius oſtendi in literis ad eundem exaratis die v. Maij anni qui modo excurrit. Notari inſuper ibidem invenies offuſam Schelhornii oculis caliginem, quippe qui rhetoricum ſchematiſmum a Cardinali Polo in binas Conciones ad procurandam Henrici Regis ſalutem amantiſſime inductum ita accepit, perinde ac ſi Vatinianum adverſus eundem Regem odium maxime ſpiraret, perinde ac ſi Conciones illæ ab earum Scriptore per Angliam, per Germaniam, perque alias regiones diſſeminatæ fuiſſent, dum certo conſtat, librum cui illæ inſeruntur, ſoli Regi ab eodem deſtinatum fuiſſe, ſoli Regi clanculum omnino tranſmiſſum, cautioneque adhibita, qua nulla major, ne ab alio præter quam ab ipſo Rege legeretur, denique perinde ac ſi unam ex his Concionibus Polus hiſce verbis minime clauſiſſet, *Sed quid ago, qui orationis æſtu ablatus, pene videor oblitus, quocum ſermonem habeam? Tanquam enim cum Cæſare, non tecum, Princeps, agerem, Orationem hic ad Cæſarem incluſi.* Eas igitur Schelhornii præſtigias an jure merito appellaverim magicæ artis portenta, velim, ipſe pariter decernas. Sententiam inſuper feras, oro, de Animadverſionibus, quibus eruditi Actorum Lipſienſium Scriptores ſugillare ſunt aggreſſi tertium Editionis meæ Poli Epiſtolarum volumen, quaſque binis editis literis Flaminio Cornelio, ampliſſimo Senatori Veneto inſcriptis ita refutavi, ut palam ſit Poli Cardinalis cenſores ludibria illa manere, quæ iiſdem ingenue vatici-

natus

natus eſt Jo: Henricus Leichius, Univerſitatis veſtræ Doctor inſignis, quem viventem plurimi feciſtis, mortuumque amariſſime comploraſtis.

Precibus hiſce meis Tibi in hunc modum expoſitis Epiſtolæ iſti finem imponerem, niſi eandem protrahendi juſtam cauſam acciperem ex lucubratione Chriſtiani Leſſeri *de Poetis Latinis Biblicis*, quam tuæ illi ſociaſti, ut uno tempore me duplici afficeres dono. Ea enim me excitat, ut opſonio illi mantiſſam aliquam adjungam, nec ingratam palato tuo, ut ſpero, futuram, ſiquidem teſtatus mihi haud ſemel es, jucundas Tibi accidiſſe Poeticas amœnitates, cujuſmodi literis meis ſeu aſpergam, ſeu inſeram, viſus Tibi earum cauſa, uti ſcripſiſti Latinam memorans a me conditam Gallici Carminis de Theatrorum periculis verſionem, præferre ipſam igneum quendam vigorem, vegetaſque corporis & animi vires, quibus me hac etiam ætate ſatis provecta pollere pro humanitate tua gratularis. Autumnales feriæ, quas modo habemus, permittunt & ipſæ ſtudiis ſeverioribus aliquantulum ſepoſitis *calamo ludere quæ vellem*.

In ea Leſſeri tui Lucubratione nulla fit mentio Jovitæ Rapicii Brixiani. Extat tamen Pſalterii Davidici interpretatio elegantiſſimis verſibus ab eo expreſſa. De ea ambo judicabitis ex ſpecimine, quod ſtatim exhibeo, addita interpretatione tam M. Ant. Flaminii, quam Buchanani, ut inde dignoſcatis cuinam ex tribus præſtantiſſimis vatibus palma debeatur.

Jo-

Digitized by Google

Jovitæ Rapicii Paraph. in Pſal. XXII.

Dominus regit me &c.

Quo mihi curas toties inanes
Snmo? quid triſti metuens ſenecta
Erro, & in caſſum meliora feſſus
Paſcua quæro?
Me meus paſcet Dominus, nec ultra
Deerit: aprico dabit ille campo
Ludere, intactas ubi vagus herbas
Irrigat amnis.
Nec greges tantum canis æſtuoſi
Carpere extenta potuere luce
Ros, brevi quantum tacitæ reponit
Noctis in umbra.
Me mihi reddet Dominus, nec ultra
Limitem rectum feret evagari,
Calle ſed dextro per amœna ducet
Strata viarum.
Nocte ſi denſas nemorum per umbras
Valle in obſcura ſit iter, feræque, &
Monſtra præſentem mihi comminentur
Undique mortem,
Me tuo paſtor baculo tueris,
Virga me reddit tua cautiorem,
Ulla ne duri facies laboris
Mi nova ſurgat.
Quid, quod & menſam, atque epulas paraſti
Regum: ut unguentis bene delibutus,
Aureis ducam pateris falerni
Nectaris undam?
Spectet ut lætum malus: & retorto
Hoſtis avertens ſe oculo, dolores
Sentiat veros, nec inane vulnus
Pectoris ægri.
Tu manum ſemper bonus invocanti
Porriges: ut mox ſuper aſtra tecum
Des mihi clemens habitare olympi.
Cærula templa.

M.

M. Antonii Flaminii Paraph. in eundem Pſalmum.

Rex cælitum eſt paſtor meus,
Nihil boni deerit mihi,
Uberrimis in paſcuis,
Amœna propter flumina
Me ſpiritus ſanctiſſimi
Aura beata recreat,
Dulcique mentem pabulo
Nutrit ſua ſcientia.
Miſerrimus animus meus
Dum longius abit a Deo,
Erraverat procul a via,
Quæ ducit ad cæleſtium
Oras beatas, at Deus
Mea miſertus miſeria,
Benignitate maxima
Quæſivit illum ultro, & ſui
Reduxit ad caulas gregis.
Si ſola ſolus per loca
Inermis eam, ubi plurima
Imago mortis territat,
Interritus perrexero,
Cuſtode ſecurus Deo.
Me virga, paſtor optime,
Coercet errantem tua,
Ne gravius offendar cadens,
Tuo bacillo fulcior.
Me menſa roborat tua,
Me dulcis exhilarat calix
Tuus, oleo foveor tuo.
Nec me, pater dulciſſime,
Per has inexplicabiles
Vias euntem deſeres
Unquam, ſed ad tuam domum
Duces, ubi vita fruar,
Et ſempiterno gaudio.

Digitized by Google

Georgii Buchanani Paraph. in eundem Pſalmum.

Quid fruſtra rabidi me petitis canes?
Livor propoſitum cur premis improbum?
Sicut paſtor ovem, me Dominus regit:
Nil deerit penitus mihi.
Per campi viridis mitia pabula,
Quæ veris teneri pingit amœnitas,
Nunc paſcor placide, nunc ſaturum latus
Feſſus molliter explico.
Puræ rivus aquæ leniter adſtrepens
Membris reſtituit robora languidis,
Et blando recreat fomite ſpiritus
Solis ſub face torrida.
Saltus quum peteret mens vaga devios
Errorum teneras illecebras ſequens,
Retraxit miſerans denuo me bonus
Paſtor juſtitiæ in viam.
Nec ſi per trepidas luctifica manu
Intentet tenebras mors mihi vulnera,
Formidem duce te pergere: me pedo
Securum facies tuo.
Tu menſas epulis accumulas, merum
Tu plenis pateris ſufficis; & caput
Unguento exhilaras; conficit æmulos,
Dum ſpectant, dolor anxius.
Me nunquam bonitas deſtituet tua,
Profuſuſque bonis perpetuo favor:
Et non ſollicitæ longa domi tuæ
Vitæ tempora tranſigam.

Jovitæ Rapicii Paraph. in Pſal. CXXXVII.
Super flumina Babylonis *&c.*

Superba muris qua Babylon novis
Labentis inter murmura fluminis
Miratur, atque hortis amœna
Penſilibus reboare tecta,

Digitized by Google

Captiva pubes luximus: & genas
Corrupit inſtar fluminis exiens
Vis lacrymarum: te Sion, te
Patria, vos Solymi penates,
Dum flemus: eheu non cithara, aut lyra,
Non nabla dulces ediderunt ſonos
Abjecta humi, aut ſuſpenſa paſſim
Arboribus, fide diſſoluta.
Ludebat hoſtis, qui a patrio lare
In ſervitutem traxerat aſperam, &
Mutare nos fletum ſuperbus
Pieriis fidibus jubebat:
Ceu fas ſit, inter fictilium deum
Tot monſtra, Oſirimve, aut Phariam bovem,
Aut Belon, aut latrantem Anubim
Carminibus celebrare ſacris.
Vigor rigentem deſtituat manum,
Et lingua ſiccis faucibus hareat,
Si barbito tentem, aut canora
Voce deos ceciniſſe mutos.
Non terror atrox, non manus inſolens,
Non ulla vis e pectoris intimo
Avellet unquam altam Syona,
Atque Dei patrios honores.
Nos, ſive eoa lucifer e domo,
Nos, ſive Iberis heſperus e vadis
Surget, nigrantes ſeu quadrigas
Nox trahet humida, te canemus.
Tu ſævam Idumen in Solymis malis,
Atque aſperantem vocibus impiis
Flendas vel hoſti ipſi ruinas,
Percuties memori flagello.
Heu quantus horror te Babylon manet:
Heu quot tuorum corpora civium,
Euphrate, inundans ſanguine, heu quot
Scuta virum, galeaſque volves?
Cum juſta victor ſupplicia exiget,
Longis prehenſas qui Aſſyrias comis

Matres, & infantes, ab ipſis
Uberibus ſine more raptos,
Allidet ad ſaxa, at rapidus domos
Et templa divum depopulabitur
Injectus ignis: & parentum
Ante oculos pavitans juventus,
Confoſſa duris vulneribus cadet:
Servata lævo ſydere in hæc mala
Flebit ſenectus: nec dolores
Alloquiis aliquis levabit.
Poſcet ſevera olim has Nemeſis vices,
Laudetur, ut qui diruerit rogos,
Atque oſſa ludens diſſiparit,
Inſiliens cineri ſuperbo.

M. Antonii Flaminii Paraph. in eundem Pſalmum.

Dum nos ferarum gentium crudelitas
Deſiderata patria dulci ſolo
Exterminatos detinet, juvat procul
A civitatis barbara frequentia
Sedere ſolos ſola propter littora
Euphratis. Hic comantium noſtras lyras
Suſpendimus ramis ſalicum, & uberrimam
Vim lacrymarum fundimus, tui Sion
Dulcis recordantes, tuamque maxime
Rex cœlitum orantes opem ore ſupplici.
At interim adiens paſtor errantis gregis.
Cantate nobis, ait, aliqua de canticis
Veſtris, quid iſta pendula tacent lyra?
Qui nos queamus, obſecro, animum inducere,
Ut canticum ſanctiſſimum noſtri Dei
Cantemus iſtis exulantes in locis?
Si oblitus unquam fuero ſancta civitas
Tui, mea quoque oblita dextra pſallere
Amabiles nunquam lyra eliciat ſonos.
Adhæreat lingua mea faucibus meis,
Ne canere poſſim, niſi ego meminero tui,
Niſi cuncta acerba erunt mihi, & amariſſimo

Ama-

Digitized by Google

Amariora felle, donec mœnia,
Tuumque templum reſtituta videro.
At tu, nefanda facta qui mortalium
Ultrice punis dextera, teterrimi
Idumeorum ſceleris uſque ſis memor,
Qui, dum periret civitas tua, impios
Hoſtes furentes vocibus nefariis
Sic incitabant, Pergite agedum, & omnia
Vaſtate, ferro, & igne cuncta evertite.
Babylon ſuperba, & omnium miſerrima.
Beatus is, qui talibus pro injuriis
Te digna ſolvet præmia, atque idem tibi
Large reponet, parvulos a pectore
Natos revellens matrum, & illos aſpera
Ad ſaxa frangens, teque funditus eruens.

Georgii Buchanani *Paraph.* in eundem *Pſalmum*.

Dum procul a patria mœſti Babylonis in oris,
Fluminis ad liquidas forte ſedemus aquas;
Illa animum ſubiit ſpecies miſeranda Sionis,
Et nunquam patrii tecta videnda ſoli.
Flevimus, & gemitus luctantia verba repreſſit;
Inque ſinus liquida decidit imber aqua.
Muta ſuper virides pendebant nablia ramos,
Et ſalices tacitas ſuſtinuere lyras.
Ecce ferox dominus Solyma populator opima
Exigit in mediis carmina læta malis:
Qui patriam exilio nobis mutavit acerbo,
Nos jubet ad patrios verba referre modos.
Quale canebamus, ſteterat dum celſa Sionis
Regia, finitimis invidioſa locis.
Siccine divinos Babylon irrideat hymnos?
Audiat & ſanctos terra profana modos?
O Solyma, o adyta, & ſacri penetralia templi,
Ullane vos animo deleat hora meo?
Comprecor, ante mea capiant me oblivia dextra,
Nec memor argutæ ſit mea dextra lyræ:
Os mihi deſtituat vox, areſcente palato,

Ha-

Digitized by Google

Hæreat ad fauces aſpera lingua meas:
Prima mihi veſtra niſi ſint præconia laudis:
Hinc niſi lætitiæ ſurgat origo meæ.
At tu (quæ noſtra inſultavit læta rapina)
Gentis Idumææ tu memor eſto, Pater.
Diripite, ex imis evertite fundamentis,
Æquaque (clamabant) reddite tecta ſolo.
Tu quoque crudeles Babylon dabis impia pœnas:
Et rerum inſtabiles experiere vices.
Felix, qui noſtris accedet cladibus ultor:
Reddet & ad templum qui tibi damna tuum.
Felix, qui tenero conſperget ſaxa cerebro,
Eripiens gremio pignora cara tuo.

Intelligis ergo, Kaeſtnere, juſtam mihi fuiſſe cauſam, ex qua mirarer a Leſſero tuo Rapicii mei omiſſam fuiſſe mentionem in ea lucubratione, qua Biblicos Latinos Poetas recenſuit. Memorat ille ibidem Publium Franciſcum Spinulam; at paraphraſis Pſalmorum ab eo concinnata, imo univerſa Spinulæ verſificatio nimis quam abeſt ab elegantia, quæ Rapicii verſus commendat. Multo minus aſſentior Auguſto Thuano, qui eandem Spinulæ paraphraſin illi æquiparavit, cujus conditor M. Antonius Flaminius, vitioque dandum puto eidem Thuano eam ipſam Rapicii prætermiſſionem, cujus Leſſerum inſimulavi. Num Brixianus, an Mediolanenſis fuerit idem Spinula dubitat Leſſerus, at quæſtionem eam dirimit initium ejus Satyræ de itinere ſuo; ea enim ita incipit: *Finibus egreſſum patriis me Brixia dives - Mœnibus excepit, Corraro præſide Paulo - Tulli ubi Nobilibus numeroſa volumina ad annum - Expoſui &c.* In eo ipſo libro, unde

unde ſpecimina jam jam recitata paraphraſis triplicis binorum Pſalmorum deſumpſi, ſcilicet in libro, cui titulum feci, *De Brixiana Literatura renaſcentium literarum ætate*, adverſarios, quos Brixiæ nacta eſt Spinulæ Poeſis, nominavi, & laudatores etiam. Horum autem princeps Comes Brunorius Gambara, qui paraphraſin illius hiſce verſibus extulit:

O ſi de facie te, amice, noſſem,
Qui deſiderio tui videndi
Peruror, cupida ut puella amantis.
In te paſco animum, tuiſque chartis,
Nam vatem redolent pium, & beatum.
Lætor præterea, quod ipſe vivat
In te Flaminius, quem acerba nobis
Ah fata eripuere, ſed benigni
Cælites ſtatuere, ne periret
Poetæ interitu illius camœna
Maturo minime elevata partu,
Quam ſubinde ſinu excipis tenellam,
Atque illam reficis beato amore,
Quo Divorum animi fruuntur uſque
Inter agmina cœlitum beata.
Ut jam ſit ſpecie magis venuſta, &
Prodeat ſolito ampliore cultu.
Quare, cum nequeam tibi decenter,
Quas jam debeo, gratias referre,
Nec quot ſunt homines, eruntque poſthac,
Habere, aut agere, aut referre poſſunt,
Multa Jeſſiades tibi rependat
Merenti bona, laureamque frondem,
Expreſſa ob ſua tam laborioſa
Sacra carmina, myſticos & hymnos,
Dis chariſſimus, optimuſque vates.

Inter Spinulæ Poemata, omnis prorſus generis, edita typis, quæ mihi in manibus fuerunt, dum meum

Digitized by Google

meum librum illum componerem, ea paraphraſis minime comparet. Lucem utique vidit Baſileæ primum anno 1548. & de ea Editione, ut puto, in Carmine, quo Spinula modo recitatis Brunorii hendecaſyllabis reſpondet, queritur ipſe; dum Germaniam, ſe ſatis ſuperque reclamante, ſuum Poema jejunum prorſus, & impolitum edidiſſe ſcribit, ſubditque:

Tamen, ſi ſuperi mihi faventes
Otio dederint frui cupito,
Expendam omnia, diligenſque, lima
Et mordacius utar, ut latinum,
Quod abſolvere molior, Poema
Flaminj videatur eſſe totum.

De Davidis Pſalmis a Spinula paraphraſtice & ſcriptis, & ſcribendis, exſtat M. Antonii Majoragii teſtimonium ad Joannem Baptiſtam Porrum in Hendecaſyllabis, quæ inter Spinulæ ipſius Hendecaſyllaba leguntur pag. 47. Ita enim in eorum fine Majoragius ad eundem Porrum,

Triginta hos cape nunc venuſtiori
Florentes ſerie, & lepore cantus,
Confectos tibi Spinula labore:
Mox totum accipies bene expolitum,
Romana Davidem lyra canentem.

Rainutii etiam Gambaræ, Brunorii Comitis filii, amicitiam coluiſſe Franciſcum Spinulam teſtantur plures hujus verſus eidem inſcripti, inter quos adeſt Epigramma de Joanne Franciſco Raynutii fratre, ad Cardinalatus apicem evecto.

Poſtquam hæc omnia ex fundo meo, ut dixi, in medium attuli ad eam ſpartam magis magiſque

que ornandam, quam Leſſerus Lucubrationis ſuæ argumentum ſtatuit, autumnalis libertas, quà, ut dixi, dàtum mihi eſt ludere quæ vellem, excitat me, ne adeo cito Poeticarum amœnitatum fila, quæ hactenus in hiſce literis deduxi, relinquam. Quoniam vero Mathematica virium comparatio, quam ipſe evidentius in tua illa Diſſertatione exponere ſuſcepiſti, me traxit primo ad Te rogandum, ut æqua lance libraces meas quaſdam & adverſariorum ratiocinationes, atque deinde ad conferendam Pſalmorum Davidicorum paraphraſin a Brixiano poeta elaboratam, cum iis, quarum authores Flaminius, & Buchananus, eidem adhuc ſemitæ inſiſtens binas alias comparationes ſtatim judicio tuo ſubjiciam, eaſque ex meo pariter fundo illo depromptas, videlicet inter Joſephum Milium Voltolinam, Laurentiumque Gambaram, ambos Brixianos, quorum ille Hortorum cultum Heroicis numeris explicavit, hic autem Columbeidem, ſeu Columbi navigationem ad Indos pari metro expoſuit, atque inter Renatum Rapinum, & Ubertinum Carraram, qui in illis ipſis argumentis Poetice pertractandis inſignem operam poſuerunt.

Poematis Joſephi Milii Voltolinæ Saloenſis initium, quo Iſabellam Sociam aflatur, hujuſmodi eſt

Huc tenera, huc huc ferte pedem, mea flamma, puella,
Eſt quibus Hortorum cordi cura, huc, precor, omnes
Currite; Tuque adeo Socia pulcherrima gentis,
Virginei decus una chori, Iſabella, venito.
Hortorum hic cultus diſces; quid ſcilicet Hortos
Perpetuo latos faciat bene olentibus herbis;

Digitized by Google

Ni gravibus tennis terram ſubvertere raſtris,
Et brevibus verſam pala diſtinguere ſulcis.
Non labor, Heſperides fœlices quo minus Hortos
Excolerent, ullus fecit; labor ullus, amatos
Negligere Hortorum cultus, induxit Adonin;
Alcinoum nunquid, cui jam Phœacia tellus
Paruit, & populo dixit qui jura ſuperbo,
Sub pingui puduit lactucam condere terra?
Aut vacuis digito betas infigere glebis?
Ille haud erubuit, duro ſola frangere raſtro,
Et ſuper immundum cinerem conſpergere, & herbas
Extirpare manu nocituras pinguibus Hortis.
Dulce illi hoc ſtudium, grata illi hæc una voluptas:
Felix ille Hortos non aſpernatus, opacis
Conſenuit, vitamque ſenex finivit in Hortis.
Ergo age, tu mea cura veni, Iſabella, tibi ipſos
Dicimus, Hortorum (ne quaſo, deſpice) cultus.

Nullus dubito, quin vel ex paucis verſibus hiſce, Kaeſtnere, percipias miram Poematis illius elegantiam, nec ipſe dubites, velim, reliquos omnes triplici libro comprehenſos iiſdem reſpondere, ac proinde jure promeruiſſe ipſos elogium Poemati illi Vincentii Sabii typis an. 1574. Brixiæ edito præfixum ex Epiſtola Euphraſti ad Bonianum Gratarolam: *Habes lector hortorum perfectam, & abſolutam doctrinam mira verſuum elegantia conſcriptam. Sunt enim verſus omnino elegantes, candidi, & cum admirabili ſuavitate graves, & magnifici. Mirus eſt auctor in rerum deſcriptionibus, mirus in fabellis ſuaviſſimis confingendis; excitat undique delectationem, ac animi quandam jucundiſſimam titillationem. Habes judicium meum, Boniane Gratarole, boneſtum quidem,*

dem , ac ſincerum de hortenſibus libellis noſtri Milii.

Venio nunc ad comparationem, quam dixi, Poematis ſcilicet Milii Brixiani cum illo, quod de eodem argumento condidit Renatus Rapinus. Haud diffiteor ambos de elegantia inter ſe certaſſe, at nimium fuiſſe Rapinum in exaggeranda argumenti difficultate, nimium quoque in jactandis plauſibus, quos ſylvæ & quercus Galliarum ſibi excitarunt, modeſtum vero quam maxime Milium, ac proinde ea laude dignum, quam Horatius in Art. Poetic. tribuit poetæ ita canere exorſo *Dic mihi Muſa virum*. Dignum vero Rapinum fuiſſe ea nota, qua idem Horatius taxat poetam hoc uſum exordio *Fortunam Priami cantabo*, quæ ſubdo ſtatim declarabunt. Rapinus in Operis ſui Præfatione inter cætera hæc habet: *Quæ vero temeritas tentare rem, quam partim propter difficultatem eorum, quæ prætermiſerat Virgilius, partim propter eorum, quæ cœperat, excellentiam, perſequi nullus poſterorum auſus ſit?* Idem in fronte libri II. ita ſibi plaudit:

Vos grandes luci, & ſylvæ aſpirate canenti:
Is mihi contingat, veſtro de munere, ramus,
Unde, ſacri quando velant ſua tempora vates,
Ipſe & amem meritam capiti impoſuiſſe coronam.
Jam ſe cantanti, frondoſa cacumina, quercus
Inclinant, plauduntque comis nemora alta coruſcis.
Ipſa mihi latu fremitu, aſſenſuque ſecundo,
Et totis plauſum reſponſat Gallia ſylvis.

Præ hiſce mira profecto comparet Milii modeſtia,

 quip-

quippe qui viæ, quam ingreſſurus foret, ne verbo quidem difficultatem, aut ſalebras indicavit, præterea Invocationem a poetis adhiberi ſolitam his verſibus ab omni oſtentatione alienis expreſſit:

Bonfadi pia Muſa, colis qua hac frigida Tempe,
Antraque opaca, ſonans rapido qua flumine Cliſis
Gazano vicina tuo prata irrigat, umbras
Inter, ubi nemorumque comas zephiritides auras
Perpetuo tecum, comites tibi ludere fama eſt;
Si tibi de viridi Benaci in littore muſco
Conſtitui, qua circum aras, nova ſerta quotannis
Appendam, ſacriſque ſuper redolentia flammis
Thura adolem, precor, huc niveis allabere pennis;
Hicque mihi, teneras mecum miſerata puellas,
Da canere Hortorum cultus, faveaſque canenti.

Milii Poema Rapino ignotum fuiſſe nil mirum, quandoquidem illud latuiſſe conſtat Cozzandum, Bibliothecæ Scriptorum Brixianorum conditorem, in qua ſcilicet nulla fit mentio ſeu ejuſdem Poematis, ſeu illius, quod anno 1575. ſuperius laudati Sabienſes typi publicarunt, & cui titulus *Hercules Benacenſis*; imo in eadem Bibliotheca prorſus omittitur Milii nomen. At Rapino innoteſcere debuiſſet L. Junius Moderatus Columella, quem conſtat poeticis numeris hortorum culturam complexum fuiſſe ita diligenter, quemadmodum aliqui ſentiunt, *ut jam nihil amplius addi poſſe videretur*, aut ſaltem, velut alii loquuntur, *non infeliciter*.

Æque miremur, oportet, ignotum fuiſſe Laurentii Gambaræ de Columbi navigatione Poema iis omnibus, qui immenſas laudes contulerunt

runt in Poema de eodem argumento ab Uberti- no Carrara ætate noſtra compoſitum, celebratumque verſibus hiſce in Arcadiæ Romanæ Olympicis ludis,

Primus hic Eudoxus, qui carmine per mare magnum
Auſus ad ignotas Columbum ducere terras.

Gambaræ noſtri Poema tum Editiones plures, tum Epiſtolæ Manutii, tum ſexcenta Scriptorum ea ætate teſtimonia, lippis, & tonſoribus notum reddiderunt, ac propterea in eo detegendo non adeo laborandum fuerat, ac Columbo in illa ſua ad novum Orbem Navigatione. Ejuſdem argumenti Poema poſt Gambaram ſcripſit etiam Julius Cæſar Stella, ſaltem libros duos priores, quos doctis Viris ſui temporis admodum probatos fuiſſe, abunde teſtatur Epiſtola Franciſci Bencii eis libris præfixa. Si quis tria hæc Poemata Gambaræ, Stellæ, & Carraræ inter ſe comparaverit, nihil fortaſſe Brixianorum poetarum gloriæ (nam Stellam quoque pro Brixiano haberi poſſe tradidi, ubi de Brix. Liter.) officiet poſtremum, licet ei improbum quadraginta annorum laborem Carrara ſacraverit, & licet ejuſdem ſingulis annis librum unum in frequentiſſimo, lectiſſimoque Virorum conſeſſu, toto plaudente theatro, Romæ conſueverit ipſe recitare. Dixi nihil officere eam comparationem Brixianorum gloriæ, nam etſi ſordido dicterio perſtrictum fuerit a M. Antonio Mureto Gambaræ Poema, Paulus Manutius eximiis præconiis illud exornavit, adeo ut ipſum legens exclamaverit: *Cedite*

Ro-

Romani, in quo adhuc, qui a me diſſentiret, inveni neminem.

Habes ergo, Kaeſtnere, quam tibi ſpopondi, mantiſſam, unde Leſſero gratificari valeas. Quoniam vero genio meo obſecundans, potius quam mantiſſam, adjicendam putavi tui illius amici menſæ ſaturam lancem, nova præterea dape, antequam Epiſtolam meam claudam, ſinas, quæſo, utrumque veſtrum a me donari. His ipſis diebus meas ad manus pervenit Gallicum Carmen Lotharingi poetæ, equidem elegantiſſimum, cujus argumentum *La vie champêtre*, Autumnali utique tempeſtati, (quæ calamum meum ad poeticas delicias Tibi plena manu offerendas pellexit) magnopere accommodatum. Idyllium itaque illud pro coronide hujus Epiſtolæ ſtatim ſubjungo, ſat bene compertum habens Te mira Gallicæ linguæ peritia pollere haud minus quam Latinæ atque Teutonicæ. Vatis nomen cito clareſcet ex Poemate, quod paratum prœlo ſe habere nuperrimis literis ſuis mihi nunciavit.

La

A Bar-le Duc en Lorainne 26. Aouſt 1753.

Ce n'eſt pas un poëme Dogmatique, ni préciſemént Theologique, que je prétens faire. V. E. m'a fait remarquer bien à propos qu'Homere eſt bien plus propre, que Chryſippe, & que Crantor à enſeigner & à ſaire gouter l'honnete & l'utile: je l'avois déja conçu. Je veux donc inſtruire en actions, comme Homere. L'action de mon poëme eſt la Conquête de la Terre promiſe. Je compte de faire douze Chants. La protection, dont V. E. veut bien honorer l'ouvrage & l'autheur, ſoutient puiſſamment ſon courage. J'ai des avances conſidérables: la matiere eſt fortemen méditée, comme s'exprime Horace; la diſtribution eſt faite, & les quatres premiers Chants verſifiés, à peu de choſe prés.

Digitized by Google

La Vie Champêtre.

IDYLLE.

Libre des vains deſirs, & des ſoucis rongeurs,
Qu' après ſoi du grand monde entraîne le tumulte,
Je n'appréhende plus l'inſulte
Des folâtres Amours, ou des Dépits vengeurs.
Je jouis enfin de moi même;
Sans recourir au ſtrategeme,
Je fuis, comme il me plait, un viſage ennuyeux:
Nulle importune voix n'étourdit mes oreilles.
De la ſimple Nature admirant les merveilles,
Tantôt au pié d'un hêtre, élevé juſqu' aux Cieux,
Tantôt à la fraicheur d'un rocher ſourcilleux
Fait pour les douces rêveries,
Je ſens le bruit flateur des ruiſſeaux argentés,
Qui du ſommet précipités
En cent Canaux divers parcourent la prairie,
Pour en voir tour à tour les diverſes beautés.
Mille jeunes oiſeaux mêlent à ce murmure
Les accords des tendres chanſons
Que leur enſeigne la Nature;
Ou de leur mélodie interrompant les ſons,
Temperent dans les bains les flammes renaiſſantes.
Qu'allument dans leurs cœurs leurs amours innocentes.
Solitaires vallons, ſombre & ſacré ſéjour
Contre l'orgueil & la licence,
Qu'on eſt libre en ces lieus, où regne l'Innocence!
Qu'on brave impunément l'amour!
Je puis ſans rien riſquer me faire un jeu Champêtre,
Un prétieux amuſement,
De graver des Amours l'image ſur le hêtre.
L'arbre croitra: croiſſez, Amours, impunément;
Vos inſenſibles traits, & vos lances fragiles,
Victorienſes ſeulement
De femmes ſans courage, ou d'Enfans inutiles,
Ne triomferont point de mes ſens indociles.
C'eſt ainſi qu'enchanté du Champêtre ſéjour,
Daphnis vantoit le premier jour
Les douceurs de la ſolitude.

Mais

Digitized by Google

Mais qu' en vain ſous de nouveaux Cieux
On ſe flatte d'atteindre à la beatitude !
Vainement on change de lieux ;
Partont on ſe porte ſoi même,
Et l'on traîne après ſoi , par un arrêt Suprême,
Les germes importuns de mille paſſions.
Daphnis le ſecond jour , l'œil ſombre , le teint blême,
Epuisé de réflexions,
Sent s'épuiſer auſſi le gôut de la retraite ,
Dont les charmes lui devoint être éternels ;
Et déja dans ſon ame, inconſtante , diſtraite,
Fauſſant de ſes ſermens les arrêts ſolemnels,
Il abjureroit Pan , tous les dieux des Campagnes,
Les grottes, les ruiſſeaux , les forets, les montagnes ;
Et cedant au deſir de revoir la Cité,
Si l'aveu de ſon imprudence
Ne ſuſpendoit ſon inconſtance,
Il reprendroit déja ce qu'il avoit quitté.
D'un flegmatique autheur plaiſirs imaginaires,
Vallons frais, doux ruiſſeaux, ombrages ſolitaires,
Vous êtés plus charmans que la réalité.
Des plaines & des bois la naïve peinture
Charme ſurtout dans la lecture:
De la nature les portraits
Raviſſent par le choix des traits,
Et plaiſent plus que la Nature.
Jadis dans l'age d'or, chez les premiers humains
Nés ſans paſſions tyranniques,
Les Faunes familiers, les Nymphes, les Sylvains
Compenſoint les plaiſirs des aziles ruſtiques ;
Nature, jeune encor, pleine d'attraits pour eux,
Suffiſoit à les rendre heureux :
Mais troublés aujourdhui par les ſombres pensées,
Les Ennuis dévorans, le Deſir ſuborneur,
Qui pourſuivent partout les ames abusées
De l'orgueilleux eſpoir d'un ſtoique bonheur ;
Quelque facheux que ſoint les hommes,
Ils le ſont beaucoup moins que nous ne nous le ſommes,
Quand l'inſtinct eſt en nous de la raiſon vainqueur.
Pour éviter l'ennui, l'unique ſtratagême
C'eſt de ſe fuir ſoi même,
Ou plutôt de s'armer contre ſon propre Cœur.

Ac-

Accipe tandem non quidem novam dapem, ſed Gallicæ modo apparatæ condimentariam veluti appendicem, quam ſcilicet verſibus illis Philopatris quidam Brixianus aptavit, capta occaſione ex ſacris Encœniis, quæ his ipſis menſibus autumnalibus peragenda curavi, Ædium nimirum, quarum deſcriptionem adumbratam legiſti in Procœmio, quod verſioni per me confectæ Carminis de Spectaculorum periculis appoſui in hunc modum: *Quotidie dum pergo viam quæ ducit ad Ædem - Euſtachio ſacram, haud Villæ dulcedine captus - Delicias Domino ſit quamvis apta parare - Illa ſuo, aſt avidus ſurgentem viſere molem - Formandis Cleri ſtruxi quam moribus*. Encœniorum illorum exercitationes, quibus ipſemet frequenter intereſſe, ne dicam aſſidue, in more habeo, Poetam illum Brixianum excitarunt ad circumſpiciendum in ea campeſtri hujuſce temporis ſtatione deliciarum genus aliquod, quarum nulla unquam ruſticantibus ſubeant faſtidia, cujuſmodi in Gallico Carmine jam jam recitato memorantur. Appendicem illam triplici idiomate idem vates conſcripſit, unde intelliges, ſtudia quævis erudita ut in hac Urbe vigeant, diligenter a me curari.

Εἰς περὶ Βιότης ἀγρείας Εἰδύλλιον

ΕΠΙΓΡΑΦΗ.

Ὦ, τινι ἀμερίμνου πεδίνου βίου ἄδεια τέρψις;
    Οἰωνῶν τε μέλος, καὶ κτύπου ἠδὲ ῥοῆς,
Πάνθ' ὅσα τε κόσμου νεότης καὶ ἄνθεα πρώην
    Ἔκφυ' ἄρ, ἐν ὀλίγῳ τὸν κόρον ἦξε νόῳ

 Ἐ

Εἶ μὰν τῇδε, Ἀθάνα πῦ Δημήτερι μιχθεῖσ'
Εὐςαχίῳ θῆκεν ἀντίτεχνα μελάθρων
Κτίσματ' Ἀθηναῖων, ἱερά προς πράγματ' ἕτοιμα,
Αἴ βίοτον βίοεν· ὔτε ςενῇ κραδίῃ
Ὁρμὰς ἀμφιβόλας, διά τ' ἄνδιχα θυμὸν ἔχυσας
Ἄντεοι ἄν, πόλεων κτήματα ὥστ' ἀχέειν
Ἀγρῦ ἀποςῆναι Δάφνις· καὶ πολλάκις αὖθι,
Ἤματι τῷ τε, καὶ ἄλλῳ σε, ΚΟΥΙΡΙΝΕ, ἰδών,
Οὐκ ἀμαθὴς εἴη ῥὰ ὅσον περ ἕν ἦτορι μοῦνῳ
Χάρμα γε προσκεῖται, μὴ αὐτὸν φύγεειν,
Ἀλλατ' ἄριςα φρονήματος, ἔνδον νώματα σπεύδοντ',
Ἢ Ἑλικωνιάδων ἴσματα τῇδε σκοπεῖν,
Τῶδ' ἀνδρῶν τέχνας, ἢ φύσεος ἔργα τέλεια
Συχνῶς τ' ἐντοῦθεν χάρματ' ἄπαυςα δρέπειν.

In Idyllium de Ruſticæ Vitæ Laudibus,

Appendix.

VERSIO EX GRÆCA EPIGRAPHE.

Expers curarum, cui Ruris dia voluptas,
Atque avium melos, & lene frementis aqua,
Et quæcunque tulit novitas modo florida mundi,
Invexere animis tædia continuo;
Hic, ubi frugiferæ Cereri ſociata Minerva,
Æmula Athenais Arcibus, Euſtachii
Nomine ſacra, ſacros extruxit Mænia in uſus,
Vixiſſet modo: non pectore ſollicito
Ambiguas, duplici Daphnis diſtentus amore,
Hauſiſſet curas, Urbium abeſſe ut opes
Rure doleret. Te & perſæpe, QUIRINE, reviſens
Hac luce, atque alia, ſane animo imbiberet,
Te melius monſtrante, unius gaudia ut una
Sint cordis, ſemet non equidem fugere;
Quinimo alta animi penitus diſquirere ſenſa:
Inde Heliconiadum picta modo arte, modo
Sponte ſua; aut hominum ſtudiis educta ſub auras
Diſpicientem, omnes carpere delicias.

Giunta

Giunta all' Idillio in laude della Vita Campeſtre.

TRADUZIONE DAL GRECO, E LATINO.

Quel Dafni, a cui col puro aer ſereno
Ogni agreſte piacer da cure ſciolto,
E 'l dolce ſuſurrar di rivo ameno,
De' vaghi augelli il canto, e 'l lieto volto
Della nuova ſtagion verde fiorita,
Toſto in amaro il bel gioire han volto:
Se in queſta parte di paſſar ſua vita
Scelto aveſſe, ù alla Dea di biade altrice,
Di concorde voler Pallade unita,
Tra l' erbe, e i fior ponendo la radice,
L' altere Mura a Euſtachio ſacre ereſſe,
Onde obbliar le ſue antiche a lei lice:
Non avria 'l cor per doppie voglie impreſſe
Diviſo, tal ch' a' ſuoi piacer ſilveſtri
Mancar le pompe, il faſto ſi doleſſe
Delle Città. E Te ſpeſſo ne' campeſtri
Agj aver parte, alto SIGNOR, ſcorgendo;
Meglio per Te, che per ſottil Maeſtri,
A parte a parte egli verria ſcoprendo,
Come ad un Cor ſia vero piacer ſolo,
Non da ſe lunge andare ognor fuggendo;
Anzi degli alti propri ſenſi a volo
Seguir la ſcorta, che più lontan ſempre
Lui ne diſcoſtan dal più baſſo ſuolo:
E or delle Muſe alle armoniche tempre,
Ora in ſe le bell' opre di natura,
Or quelle, ove l' ingegno uman ſi ſtempre,
Preſenti avendo, far ſua dolce cura.

Literarias delicias, Heliconidum etiam, quas, dum adeo Villam S. Euſtachii, teſtatur Philopatris *far mia dolce cura*, credas mihi, Kaeſtnere, vix aut ne vix quidem pectus meum Autumnali hac tempeſtate leviter pertentare, quippe qui iter illud conficiens unice mente revolvo ea omnia, unde uberior ac certior junioris mei Cleri formandis moribus parari poſſit utilitas. Multo adhuc minus me

me afficiunt campeſtris ſtationis voluptates, quandoquidem iiſdem frui vel per unum diem toto anni tempore me nondum didiciſſe Brixia univerſa miratur. Vitæ meæ inſtituta, conjunctas ſcilicet Paſtoralis miniſterii curas cum bonarum literarum cultu, mihi aſſidue in delitiis eſſe, veſtris quoque hominibus innotuiſſe, certiorem me faciunt frequenter eorundem epiſtolæ; neque diſſimulabo gratam mihi eſſe perſuaſionem hanc veſtram, quod rei Catholicæ certe conducat, Vos ipſos agnoſcere, quænam ſint ſtudia, quæ in Primatibus ſuis Eccleſia Romana maxime commendat. Ego quidem vel a primo die, quo Cardinalatum accepi, perſonam me ſuſtinere intellexi, *in quam virtutes omnes cadunt, atque ita cadunt, ut, ſi abſint, is qui bonor eſt, bonor eſſe deſinat, vel ſit etiam ſumma deformitas.* Dictum hoc qui meis auriculis ante annos viginti quinque inſtillavit, inſuper cogitationes Cardinali dignas his verbis me edocuit, *pietatem præcipue colere, excubare animo pro ſalute ac dignitate Eccleſiæ, beneficentiam ſine ſpe præmiorum exercere, nibil omnino facere, nibil cogitare, in quo ſtatim decus non eluceat.* Vides, Kaeſtnere, ex poeticis, quibus hæc Epiſtola redundat, oblectamentis quomodo ſim prolapſus ad rem maxime ſeriam; hujuſque, ſacri ſcilicet officii mei, faxit Deus, ut nulla unquam mihi veniant oblivia. Vale.

Brixiæ die XVII. *Octobris an.* MDCCLIII.

A01 1467716